



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Malchvs C. 21. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

dum etiam suis tunc puto, utpote sine Proserpinâ, quam speraverat, reducem. Jam sapius ex humano domicilio eundem proscrispit, non ita tamen, quin Virginem gravibus verbis castigaret. obsidione jam liberam, quod pro pudore non excubans aditum dæmoni amoris fecisset. Porro terram triennio sitientem pluviâ beatâ recreavit. cruce serpentum morsus exarmavit. Draconem coëgit structum rogam conscendere, & suapte sponte victimam igni dare. Talis tamen ac tantus mori timuit, & moriturus animam suam ita alloqui est auditus. *Quid egredi anima, quid times? LXX. ipsos annos Christo meres, & mori times?* Audi hæc orbis: Hilariones timent mori, Nos ah! quali morbo? risu emorimur. *Ex D. Hier.*

S. MALCHVS C. 21. Octobris.

Non latuit MALCHVM thesaurum esse virginitatem, tot prædonibus quot oculis expositum. Quare ut tuto hunc collocaret, secum in silvas exportavit. Sed, eheu! non sola in silvis Diana, etiam Venus venatur. Et vide sis rectissima hujus retia. Emortitur MALCHI pater, & ficta pietas orbem solari matrem suadet. Clamavit vita sanctioris Doctor, impietatem esse ipsissimam, alienam mortem suâ delugere, & ut funus comitaretur, finis velle

velle fieri. Si mundo mortuus esset, quid illi cum vivâ matre? si DEO viveret, quid cum mortuo patre foret? Sed surdo fabulam. Abit è latibulis suis virginitas, peritura, nisi in latrones incidisset. Hi in servitutem abducunt, & ne fugere possit, molestissimâ compe-
 pede, uxore onerant. Conclamabunt hîc alii. Sed noverint sic vexatam re-
 vixisse virtutem. Secura etiam in thalamo jacuit, & per conjugii larvam diu Venerem risit illibata virginitas. Quòd tamen rectiùs fugiendo quàm pugnando pugnat pudor, fugere ultimò pudici conjuges. Et jam per undas enata-
 verat castitas, cum jugulo herus & cum hoc servulus, uterque camelo vectus hæsit. Defendit tamen antrum trepidos, & antrum suum læna, utroque hoste lacerato. Sed & domicilium fortioribus hæc cædens aliò cum catulis emigravit. At MALCHVS non jam leones, sed nuptam suam fugiens, hanc inter virgines deposuit, ipse monachum rursus induit, mortuusque meruit, ut tumulo ejus rarum miraculum (VIRGO CONIVNX) inscriberetur.

Ex D. Hieron.

S. VRSVLA cum Sodalib⁹ VV. & MM.
21. Octobris.

Classem & vela spectas, omnia à castis nivibus candida, omnia à casto
 O o s fan-